ARCTOI NOVA ET ACCUR … LINEA … Bureo Sveco

ORBIS ARCTOI

Inprimisque

REGNI SUECIÆ

DESCRIPTIO

Europæ partes ad Septentrionem vergentes, moderni Geographi orbem Arctoum appellant; Dividitur in Scandiam & Daniam: Scandia vel Scandinavia, quam Plinius insulam incompertæ magnitudinis vocat, Europæ latus ſeptentrionale claudit. Regio latiſſima inter LV. & LXXII. gradum ſeptentrionalis latitudinis, & XXV. ac LXV. longitudinis extenſa: à meridie Daniam & Germaniam, à ſeptentrione & occaſu Oceanum, ab ortu vero Ruſſiam habet conterminam: Ejus auſtraliores partes, ubi polus ultra ſexageſimum gradum non elevatur, cœlum ſatis habent mite & temperatum; Mediæ verò quæ ſexageſimum gradum & Circulum Arcticum interjacent, cœlum quidem non admodum clemens habent, ſed [illegible] ſeveritatem compenſat ſoli fertilitas, iis locis ubi ſylvis rupibusq; conſitum non eſt, partibus præſertim orientalioribus auſtralioribusq;. Extremæ autem partes circulum Arcticum & Polum interjacentes, neque cæli neque ſoli gaudent Clementia. Ideoq; mirandus ille naturæ rerumque omnium conditor, ſiquidem ibi frumenta propter languidum ſolis calorem non matureſcunt, pro incolarum ſuſtentatione, terras illas, variorum animalium venatione, ſinus maris, lacus & flumina, multiplicium piſcium abundantia ditavit.

Fuit autem Scandia olim quam nunc multò populoſior, quod teſtantur plurimæ illæ, quarum hiſtoriæ mentionem faciunt, Scanzianorum in reliquas mundi partes expeditiones & quaſi inundationes; cùm partim ob populi frequentiam ac innatam fæcunditatem, partim divinitus immiſſam annonæ charitatem, partim naturam populi ſuetam prælio, & fugientem diſidiam, inſtar apum, ſibi ſuisque liberis novas quæſierint ſedes: Eandem etiam populoſitatem comprobare videntur lapidum, propter ſoli purgationem comportatorum acervi, qui etiam in maximis inviis denſiſſimisque ſylvis, hodie viſuntur frequentiſſimi, qui evidenter convincunt eas olim omnes fuiſſe habitatas; Quare etiam veteres ſcriptores non immeritò officinam gentium vaginamque populorum appellarunt: Exiverunt enim hinc, non ſolùm bellicoſi illi Suevi, Normanni, Vandalique & alii, verum etiam domitores & terror orbis, Gothi, noſtræ Suecanæ indigenæ & propago, Veſtrogothi & Oſtrogothi, qui multis perluſtratis Regnis & Provinciis, & bello defatigatis pleriſque Europæ populis, tandem in Hiſpania conſederunt, ejusque imperium ad noſtra usque tempora obtinuerunt.

[illegible] Scandinavia duo Arctoi orbis regna complectitur, Sueciæ videlicet & Norvegiæ: Sueciæ re[illegible], ut Scanzianæ teſtantur hiſtoriæ, reliquis antiquius eſt, à cujus Regibus tum Da[illegible] tum Norvegianorum veteres deſcendebant regnum familiæ: Dan enim primus Da[illegible] Rex, à quo Dania vel Danmarchia denominata eſt, filius fuit Humeli Suecorum regis, in ordine decimiſexti. Norvegii autem in ſuis Chronicis, prius quam ad ſuos deveniunt, viginti quinque enumerant Sueciæ reges, à quibus Originem traxit Haldanus *Hwitben*, qui Maternum genus ducens à Solvone quodam Norvegiæ Regulo, ipſi in ſuæ ditionis dominio ſucceſſit, poſteaque ſubactis multis provinciis ampliatum regnum ſuis tradidit hæredibus; [illegible] mùm Trinepos, Haraldus *Harfagher*, propulſatis devictiſque omnibus Norvegiæ [illegible] rimus ibi Monarchiam inſtituit, ut teſtatur priſcum Norvegiæ Chronicon, à M. [illegible] Slangerupenſi, Anno MDXCIV. in Dania publicatum.

[illegible] perium, per multa ſecula ab indigenis & domeſticis regibus feliciſſimè [illegible] nus *Erichſon* (alias *Smek* cognominatus) Sueciæ & Norvegiæ [illegible] nperandi munere, ſe voluptatibus & Socordiæ dedit, [illegible] ertum Ducem Megapolitanum, ejus ex ſorore nepo[illegible] perii habenas acciverunt: Poſtquam autem Albertus [illegible] us totum rerum cardinem demandabat, Sueciſque iis [illegible] rendi neceſſitate, [illegible] procerum ad Margaretam Daniæ & Norvegiæ Reginam, cum Alberto de imperio certantem, deſciverunt: Poſtea Regnum Sueciæ cum Danis, trium Regnorum Unione conſtituta aliquantiſper conjunctum manſit, donec Reges legum in coronatione juratarum immemores, ac neglectis ſpretiſque Suecis, Danos arcibus & gubernationi præfecerunt; Quare Sueci & Norvegiani ſe deſpectos contemptosque videntes, Carolum Canuti, ex nobilitate Suecana conſpicuum, multoque rerum uſu præſtantem virum, Sueciæ & Norvegiæ Regem conſtituerunt. Norvegiani deindè Chriſtierni primi Daniæ Regis pollicitis allecti, ejus ſe imperio ſubjecerunt. Carolo autem in Suecia quà [illegible] Reges ſucceſſerunt Sturii, donec moderni Sueciæ regis avus Guſtavus primus, ex antiqua regum Sueciæ proſapia deſcendens, herculea virtute, regnum à Danorum poteſtate penitus liberavit; Sueci etiam accepti beneficii memores, eum ejusque poſteros maſculos regni hæredes conſtituerunt.


OCEANUS
SEPTENTRIONALIS
MOURMANSKOI MORE id eſt NORVEGICUM ET DANORUM MARE quia Ruſsi Norvegos et Danos Maurmans vocant.
BELLA MORE
ALBUM MARE
SINUS GRANDICUS
SINUS
MARE BALTICUM
Die Ooſt Zee
De Noort Zee
THUANIA
PARS DUCATUS SEVERIENSIS
Scala Milliarium.
Milliaria Dalica 7¾ uni grad.
Weſtrogothica 8½ uni grad.
Uplandica Weſmannica Sudermanica et Oſtrogothica 12 uni grad.
Germanica et Smalãdica 15 uni gr.
Finonica Cajanica et Livonica quorum 18 uni grad reſpondent
Helſnica Botnica et Lapponica quorum 22 uni gradui reſpon:
Scale = 1:2000000

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQ; PRINCIPI AC DOMINÆ, DOMINÆ CHRISTINÆ SVECORUM, GOTHORUM VANDALORUMQ; DESIGNATÆ REGINÆ, ET PRINCIPI HÆREDITARIÆ, MAGNÆ PRINCIPI FINLANDIÆ, DUCISSÆ ESTHONIÆ, ET CARELIÆ, DOMINÆ INGRIÆ etc.

Hanc accuratiſsimam Orbis Arctoi, imprimisq; Regni SUECIÆ tabulam, nuper quidem a doctiſsimo viro D.A. Buræo delineatam, ſed iam multis in locis auctam et emendatam. per Iſaacum Maſsam.

Humillime Offert Dedicatq; Henricus Hondius.

Bureus, Andreas / Hondius, Hendrik

Orbis arctoi nova et accvrata delineatio

KUNGL. BIBLIOTEKET
National Library of Sweden